

Epigramma de tabula orbis terrarum jussu Theodosii Junioris imp. facta.

(Ex antholog. H. Meyeri Lipsiæ cusa.)

*Hoc opus egregium, quo mundi summa tenetur,
Æquora quo, montes, fluvii, freta, portus et urbes
Signatur, cunctis ut sit cognoscere promptum,
Quidquid ubique latet, clemens genus, inclyta proles,*

A 5 *Ac per sæcla, pius, totus quem vix capit orbis,
Theodosius princeps venerando jussit ab ore
Confici, ter quinis aperit cum fastibus annum.
Supplices hoc famuli, dum scribit, pinguis et alter,
Mensibus exiguis, veterum monumenta seculi,*
10 *In melius reparamus opus culpamque precem
Tollimus ac totum breviter comprehendimus orbem :*
12 *Sed tamen hoc tua nos docuit sapientia, princeps.*

SCHOLIA.

minima quæque emendatissima legi debeant : ut a quibus descendat fons omnium doctrinarum. Nec sit fere ullum eorum tam tenue monumentum, quin aliquid ta-

men ex eo discere possis. Quoniam propositum est nihil antiquitatis, ut ait ille, ignorare.

DECRETUM DE LIBRIS RECIPIENDIS, ET NON RECIPIENDIS, Ex monumentis ineditis illustratum.

MONITUM.

Ex Prolegomenis num. 450 seqq. constat, in quot ac quales difficultates historici, aliique viri critici incurrerint ob Sedulii elogium, quod in decreto de libris recipiendis et non recipiendis legitur. Dignum sane est venerandum hoc antiquitatis ecclesiasticæ monumentum, quod a docto aliquo viro commentario peculiari illustretur. Quantum quidem in me est, curabo ut illud hic exhibeam ad plura exemplaria mss. recognitum et emendatum. Chiffletius illud edidit in notis ad opusculum 3 Vigili Tapsensis, Fontanus in Append. Antiquit. Hortæ pag. 317, Blanchinus in Prolegomenis ad tom. IV Anastasii opusc. 3, et Mansius in Supplem. Conciliorum. Majoribus copiis ego instructus, nec minus opportuno loco plura in eandem rem conferam, eo etiam consilio ductus, ut aliqua ex parte, si possim, amicorum meorum conatus adjuvem, qui Bononiæ operam historiæ ecclesiasticæ concinnandæ non perfunctorie nuntant. Tres autem partes statuum : in hac prima Concilium Romanum, Damaso pontifice celebratum, ex codice ms. Vaticano describo ; in altera Decretum Gelasianum (a quibusdam S. Damaso attributum) ad vetera exemplaria recensebo ; in ultima ex antiquis membranæ Vaticanæ bibliothecæ periphrasin quandam ejusdem Decreti nondum vulgatam expromam.

PARS PRIMA.

Concilium urbis Romæ sub Damaso papa celebratum. De explanatione fidei catholicæ ^a.

Dictum est, prius agendum de Spiritu septiformi, qui in Christo requiescit, Spiritus sapientiæ ^b :

SCHOLIA.

Quamvis hoc Concilium inter opera S. Damasi in tomo XIII Patrologiæ nostræ jam antea editum sit, eandem tamen relationem media fere parte amplificatam, notisque doctissimi Arevali illustratam hic loci rescribere non dubitavimus. Edit.

*In codice Vaticano chartaceo in 4, num. 349, inter alia miscellanea exstat hoc Concilium descriptum, ut initio notatur, ex bibliotheca Vaticana. Holstenius primam ejusdem Concilii partem vulgavit usque ad verba, et annuntiabit vobis, ex codice Vaticano 5845. Exstat idem Concilium in codice ms. bibliothecæ Casanatensis D. iv, 23, pag. 46, sæculi xi, cujus Ballerini meminerunt tract. de antiq. collect. canon. part. ii, cap. 11, § 5. Baronius ad ann. 69, num. 4, in suo codice collectionis Canonum Cresconianæ pag. 256 reperiri affirmat Concilium Romanum sub Damaso de libris apocryphis (intelligo de scripturis canonicis), ex quo verba quædam profert, *Post has omnes propheticas, etc.*, usque ad *Domino consecrarunt*, quæ in decreto Gelasiano repetita esse animadvertit. In codice capituli Veronensis sæculi ix vel x, sub titulo, *De Concilio in urbe Romana sub Damaso papa edito* describuntur verba, *Post has omnes propheticas, etc. Explicit Concilium sub Damaso papa*. Constantius tom. I Epist. Roman. Pontif. col. 503 commemorat codicem bibliothecæ Regiæ Parisiensis, in quo idem Concilium sub Damaso ce-*

*lebratum reperitur. Codex Florentinus S. Marci sæculi x primam partem usque ad verba et annuntiabit vobis Damaso ascribit, et deinceps sub Gelasii nomine decretum Gelasianum profert. Primus, quod ego sciam, integrum Concilium sub Damasi nomine ex collectione canonum Diessensi, confecta circiter medium sæculum vii, et descripta circiter medium sæculum viii, Eusebius Amortius tom. II, pag. 476, edit. August. Vindel. element. jur. canon., et tom. I, p. 421, edit. Venet. 1763, vulgavit, ex quo illud recedit doctissimus vir Franc. Antonius Zacharias de Prohib. libr. ad annum 379, quo celebratum fuisse Concilium creditur. Magna est scripturæ varietas in mss. codd., ut patebit ex collatione. Vatic. 1, sive num. 349, *Incipit Concilium*, etc., ut in titulo. Vatic. 2, sive num. 5845 : *Incipit... sub Damaso. De explanatione fidei*. Codex Casanat. et Parisien., *Incipit... sub Damaso papa. De explicatione fidei*. Cod. Diess. : *Incipit... sub Damaso papa, De explanatione fidei*. Cod. Florent., *Concilium urbis Romæ sub Damaso papa, De exemplaribus fidei, et de recipiendis, et non recipiendis libris*.*

^b Sic Vat. 1, quem sequor, ubi discrepantiam ejus non adverto. Vatic. 2, *Dictum est : Prius agendum est de Spiritu, etc.* Diess. : *Dictum est, prius agendum esse de Spiritu septiformi, qui in Christo requiescit, Spiritus sapientiæ.* Digitized by Google

Christus Dei virtus, et Dei sapientia (1 Cor. i, 24). Spiritus intellectus ^b : *Intellectum tibi dabo, et instruaute in via hac, qua gradieris* (Psal. xxxi, 8). Spiritus consilii : ^c *Et vocabitur magni consilii angelus* (Isai. ix, 6). Spiritus virtutis, ^d ut supra dictum est : *Christus Dei virtus, et Dei sapientia*. Spiritus scientiæ ^e propter eminentiam scientiæ Jesu Christi, ut ait Apostolus. Spiritus veritatis : *Et ego vita, et veritas* (Joan. xiv, 6). Spiritus timoris : *Initium sapientiæ timor Domini* (Psal. 110, 6).

Multiformis autem nominum Christi dispensatio est.

ⁱ *Dominus*, quia *Christus*. *Verbum*, quia *Filius Dei*, quia unigenitus a Patre. ^j *Caro*, quia natus ex Virgine. *Pastor* ^k, quia custos ^l ovium. *Mons*, quia fortis. *Via*, quia rectus per ipsum ingressus ^m ad vitam. *Agnus*, quia ⁿ passus. *Lapis angularis*, quia

constructio. *Magister*, quia ostensor vitæ. *Sol*, quia illuminator. *Verus*, quia a Patre. *Vita*, ^p quia rector. *Panis*, quia caro. *Samaritanus*, quia custos, et misericors. *Christus*, quia unctus. *Jesus*, quia salvator. *Deus*, quia ex Deo ^q est. *Angelus*, ^r quia nuntius. *Sponsus*, quia mediator. *Vitis*, quia sanguine ^s ipsius redempti sumus. *Leo*, quia rex. *Petra*, ^t quia firmamentum. *Fundamentum*, quia firmamentum. *Flos*, quia electus. *Propheta*, quia futura ^u revelat. Spiritus ^v enim sanctus non est Patris tantummodo ^x Spiritus, sed Patris, et Filii. Scriptum est enim : *Si quis dilexerit mundum, non est Spiritus Patris in illo*. Item scriptum est : *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*. Nominato itaque Patre, et Filio, ^y intelligitur Spiritus, de quo ipse Filius in Evangelio dicit : *Spiritus, qui a Patre procedit* : et ille *de meo accipiet, et annuntiabit vobis*. Item dictum est : ^{aa} Nunc vero de Scripturis divinis

SCHOLIA.

^a Diess. addit *erit post sapientia*.

^b Diess. addit *juxta illud post intellectus*. Locus est psalmi xxxi, vers. 8, quem Vat. 1, legit, ut Vulgata nostræ. Vatic. 2, *in via, qua ingredieris*. Diess., *Intellectum dabo tibi, et instruaute in via, in qua ingredieris*.

^c Vat. 2, Diess., *Et vocabitur nomen ejus magni*, etc.

^d Diess., ut supra : *Dei virtus*, etc.

^e Diess., corrupte, *propter imminetia Christo scientia Jesu Apostoli*. Apostolus ad Ephes. iii, 19, ait, *supereminetiam scientiæ claritatem Christi*.

^f Vat. 2, *Ego vita, et veritas*. Diess., *Ego via, et vita, et veritas*.

^g Diess. addit *Dei post timoris*.

^h Vat. 1, *disertatio est*; fortasse genuina est lectio *disertatio est*. Vatic. 2, *dispensatio est*. Diess., *dispensatio sine est*. Casan., *Item de multiformi dispensatione nominum Christi*. De nominibus Christi quædam notata sunt in schol. ad elegiam v. 104.

ⁱ Vat. 2, *Dominus... Verbum, quia Dei filius, quia unigenitus ex Patre*. Diess., *Dominus, qui et spiritus; Verbum, quia Deus; Filius, quia unigenitus ex Patre*.

^j Vat. 2, Diess., *Homo*; Vat. 1, *Caro*.

^k Vatic. 2, Diess. addunt, *Sacerdos, quia se obtulit holocaustum*. *Pastor*; quod Vat. 1 prætermittit.

^l Vat. 2, Diess. omittunt *ovium post custos*. Uterque hic codex post *custos* illico *Vermis, quia resurrexit*, quod deest in Vatic. 1.

^m Vat. 2, *in vitam*. Diess., *Via, quia rectus : quia per ipsum ingressus in vitam est*.

ⁿ Diess., *passus est*. *Lapis, quia instructio angularis*. Vat. 2, *passus*. *Lapis angularis, quia instructio*.

^o Diess., *quia illuminat*.

^p Diess., Vat. 2, *quia creator*.

^q Diess., Vat. 2 omittunt *est post Deo*, quod alii exhibent.

^r Diess., *quia missus*.

^s Vat. 2, *ejus pro ipsius*.

^t Diess., *quia fundamentum firmamenti est*. *Flos*, etc.

^u Diess., *revelavit*.

^v Diess. omittit *enim*. Fortasse legendum est *etiam* : nam in mss. hæc duo sæpe confusa reperi. Labbeus tom. II col. 895, ad marg. sic notat : *Hæc ab Holstenio, aut alio assuta fuisse superioribus, multa docent : nique enim cohærent cum superioribus ista, quæ Baronius ad annum 447, num. 21, recitat ex collectione Cresconiana*. Verum dubium non est, quin in antiquissimis codicibus hæc superioribus adjuncta re-

periantur : et Baronius loc. cit. hæc ipsa sub Damasi nomine ex concilio Romano profert, scilicet ex hoc, quod præ manibus habemus, et alio loco laudat ipse Baronius, ut supra dixi.

^x Diess., *Spiritus sanctus non est Patris tantummodo spiritus, sed Patris, et Filii spiritus*. Vat. 2, cum Baronio, *non est Patris tantummodo, aut Filii tantummodo spiritus : scriptum est, etc.*

^y Ex epist. I Joann. ii, 15 : ubi tamen Vulgata nostra exhibet, *Si quis diligit mundum, non est charitus Patris in eo*. Sequitur ex epist. Pauli ad Romanos viii, vers. 9 : *Qui autem*; etc., ubi Diess. refert, *Quisquis autem*, Vulgata, *Si quis autem*.

^z Vat. 2, cum Baronio, *intelligitur Spiritus sanctus*. Baronius omittit *ipse ante Filius*. Diess., *Nominatus autem a Patre et Filio, intelligitur Spiritus sanctus, de quo ipse*, etc. Locus Evangelii est Joann. xv, 26 : *Spiritus veritatis, qui a Patre procedit*. Baronius cum Diess., Vat. 2, *Quia Spiritus sanctus a Patre procedit*. Alter locus est Joann. xvi, 15. In Vat. 1 est *illi mendose pro ille*. In reliquis deest *ille*, ut in Vulgata.

^{aa} Hæc, et quæ sequuntur cum multis aliis eodex Casanatensis, et alius regius Parisiensis Gelasio ascribunt, quibus adhæret codex Florentinus S. Marci, qui post verba *et annuntiabit vobis* titulum hunc apponit : *Incipit Decretum de abjiciendis et recipiendis libris, quod scriptum est a Gelasio papa cum LXX eruditissimis viris episcopis in sede apostolica in urbe Roma*. Ballerinii existimant, primam partem hactenus expositam concilii Romani ad Damasum spectare, non item reliqua. Nam hæc præfatio innuit, agendum esse de libris apocryphis : hoc enim significant verba *quid vitari debeat*. Cl. Zacharias, qui Damaso sequentem canonem Scripturarum adjudicat, repouit, hanc secundam partem connexam esse cum prima, et indicari illis verbis initio positis, *Dictum est agendum prius*, quibus hæc respondent, *Nunc vero de Scripturis divinis agendum est*, etc. Observat deinde, sermonem tantum esse *de Scripturis divinis*, quænam in canonem recipi debeant. Denique conjicit, post canonem Scripturarum in concilio Damasifuisse indiculum, quo alii libri sub apostolorum nomine conficti damnantur, qui legitur in epistola Innocentii I anno 405 ad Exuperium episcopum Tolosanum. Cætera autem, quæ sub nomine *Matthiæ, sive Jacobi minoris, vel sub nomine Petri, et Joannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Thomæ, et si qua sunt talia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda*. Illic autem indiculus facile omitti potuit a librariis, quod Decretum Gelasianum

agendum est, quid ^a universalis catholica Ecclesia A teneat, et quid vitari debeat.

Incipit ordo Veteris Testamenti.

Genesis liber unus.

Exodus liber unus.

Leviticus liber unus.

Numeri liber unus.

^b Deuteronomium liber unus.

Jesu Nave liber unus.

Judicum liber unus.

Ruth liber unus.

Regum libri quatuor.

Paralipomenon libri duo.

^c Psalterium liber unus.

Salomonis libri tres.

^d Proverbiorum liber unus.

Ecclesiastes liber unus.

Cantica canticorum liber unus.

Item Sapientiæ liber unus.

Ecclesiasticus liber unus.

Incipit ordo prophetarum.

Esaiæ liber unus.

Hieremiæ liber unus ^e cum uno Baruch ; item cum Lamentationibus suis.

Ezechielis liber unus.

Danielis liber unus.

Joel liber unus.

Abdiæ liber unus.

Oseæ liber unus.

Amos liber unus.

Michæas liber unus.

Jonæ liber unus.

Nahum liber unus.

Abbacuc liber unus.

Sophonix liber unus.

Aggæi liber unus.

Zachariæ liber unus.

Malachix liber unus.

Item ordo historiarum.

Job liber unus.

Tobiæ liber unus.

Judith liber unus ^f.

Hester liber unus.

Esdra liber unus.

Machabæorum libri duo.

Item ordo Scripturarum Novi Testamenti, quas sancta et catholica suscipit Ecclesia.

Evangelium secundum Matthæum liber unus.

Secundum Marcum liber unus.

B Secundum Lucam liber unus.

Secundum Joannem liber unus.

Epistolæ Pauli numero XIV.

Ad Romanos una.

Ad Corinthios duæ.

Ad Ephesios una.

Ad Thessalonicenses duæ.

Ad Galatas una.

Ad Philippenses una.

Ad Collossenses una.

Ad Timotheum duæ.

Ad Titum una.

Ad Philemonem una.

Ad Hebræos una ^g.

Item ^h Apocalypsis Joannis Apostoli liber unus.

C Actus Apostolorum liber unus.

Item Epistolæ Canonice numero septem.

Petri Apostoli Epistolæ duæ.

Jacobi Apostoli Epistola una.

SCHOLIA.

magis ubique obvium hæc, aliaque plura de libris apocryphis præscriberet. Probabilia quidem hæc censeo : sed non ita illis verbis *quid vitari debeat* in hærendum est, ut credamus ea necessario arguere catalogum aliquem librorum nominatim prohibitorum. Semel enim constituto canone Scripturarum divinarum, consequens est ut cætera scripta, quæ ab eo canone absunt, quamvis nomen apostolorum aut prophetarum præferant, inter divinas Scripturas minime referantur, sed vitentur potius, tamquam apocrypha.

^a Vat. 2, *universalis Ecclesia recipit, et quid vitari debeat*. Diess., *universalis catholica recipiat Ecclesia, et quid vitare debeat*.

^b Diess., *Deuteronomii liber 1.*

^c Diess., *Psalmi CL liber 1.*

^d Diess., *Proverbia liber 1, et paulo post Sapientia pro Sapientia.*

^e Diess., *cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis*. Vatic. 1, *cum uno Baruch : item cum Lamentationibus suis*. Sic Athanasius epist. 39, apud Labbeum tom. II Concil. col. 1710 : *Hieremias, et cum ipso Baruch Threni, et Lamentationes*. Deinceps Diess., *Ezechiel... Daniel... Michæ... Ambacum pro Abbacuc, vel Habacuc... Soffonia, etc.* Post *Ambacum* apud Amortium parentesi includitur *Amos*.

^f Diess., post *Tobiæ* librum *Esdrae libri II. Hester liber 1. Judith liber 1. Machabæorum libri II.*

^g Zacharias loc. cit. hinc sibi objicit, non videri hunc canonem scripturarum esse Damasi, quando-

quidem S. Hieronymus anno 414 ad Dardanum scribebat, epistolam Pauli ad Hebræos Latinorum consuetudine non recipi inter scripturas canonicas. Recte autem respondet, intelligi id de nonnullarum Ecclesiarum consuetudine, quæ etiam post canonem Damasi, et Innocentii I consuetudinem suam non recipiendi tamquam canonicam epistolam ad Hebræos retinuerunt, donec anno 419 in concilio Carthaginensi in decretum fuit ut omnes integrum canonem divinarum Scripturarum, in quo est Epistola ad Hebræos, reciperent, implorata etiam auctoritate Bonifacii papæ, et concilii Italici *pro confirmando isto canone*. Vide Labbeum tom. II, col. 1177. Decreta ergo Damasi et Innocentii aut non ita fuerunt lata, ut pro lege ab omnibus Ecclesiis haberentur, aut ad quarundam Ecclesiarum notitiam non pervenerant.

D In Diess. deest mentio Apocalypsis, ut conjicere licet, ex negligentia librarii : nam in nostro codice exstat. Inter Latinos receptam suo tempore fuisse Apocalypsin testatur Hieronymus loc. cit. Zacharias, qui in codice Diessensi omitti Apocalypsin vidit, existimat, potuisse a Damaso omitti, quia plures Ecclesie Græcorum eam tunc non recipiebant, ut eod. loc. affirmat Hieronymus. In canone laudato concilii in Carthaginensis, uti etiam in canone Innocentii I anno 405 Apocalypsis comprehenditur. In cod. Diess. mentio Actuum apostolorum fit post Evangelium Joannis.

Joannis Apostoli ^a Epist. una.
Alterius Joannis presbyteri Epistolæ duæ.
Judæ Zelotes ^b Epistola una.

Post hæc ^c omnes propheticas, et evangelicas, atque apostolicas, quas superius deprompsimus, Scripturas, quibus Ecclesia catholica per terrarum orbem a Deo fundata est, etiam intimandum putavimus, quod quamvis universæ per orbem catholicæ diffusæ Ecclesiæ quasi unus Christi thalamus sit, sancta tamen Romana ^d Ecclesia a nonnullis synodicalis constitutionibus cæteris ecclesiis prælata est : sed et evangelica voce Domini Salvatoris nostri primatum obtinuit : *Tu es, inquit, Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Addita est etiam so-

A cietas beatissimi Pauli apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garrunt ^e, sed uno tempore, uno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est : et pariter supradictam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque omnibus in universo mundo sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam ^f Petri a Marco nomine ejus discipulo atque evangelista consecrata est; ipseque in Ægyptum directus a Petro apostolo, verbum veritatis prædicavit, et gloriosum martyrium consummavit. Tertia vero sedes apud Antiochiam beatissimi apostoli Petri habetur honorabilis, et quod illam primitus quam Romam veniret, habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. ^g Finis.

PARS SECUNDA ET TERTIA.

Decretum Gelasianum, ex mss. Vaticanis, necnon Paraphrasis ejusdem decreti.

(Hæc inter opera Gelasii melius collocanda reservamus, ubi, si placet, legesis.)

SCHOLIA.

^a In canone Innocentii I, et in aliis hæc tres Epistolæ unius Joannis apostoli esse dicuntur. In canone Damasi una Joanni apostolo, duæ Joanni presbytero ascribuntur ex sententia, quam Hieronymus innuit de Vir. illustr. c. 9 : *Scriptis autem (Joannes apostolus) et unam epistolam... Reliquæ autem duæ... Joannis presbyteri asseruntur.* Antiquitas canonis Damasi ex hac parte comprobatur.

^b Diess. scribit *Zelotis*; Vat. 1, *Zelotes*. In Diess. additur, *Explicit canon Novi Testamenti.*

^c Inserta hæc etiam sunt in Decreto Gelasii : sed scripturam exhibemus Vat. 1, quæ in non paucis differt a vulgata lectione, ut decretum ipsum Gelasii mox describendum conferenti patebit. Cresconiana collectio apud Baronium anno 69, num. 4, nonnihil etiam differt a Vat. 1, ut et apostolicas pro atque apostolicas, et mox *Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est, et unus thalamus Christi sit.* Amortius ad marginem notat : *Continuatio per Gelasium papa anno 494, nescio, an ex codice. Verba, Item dictum est, innuunt, idem concilium sub Damaso continuari.*

^d Cresconiana collectio *Romanæ ecclesiæ nonnullis synodicalis constitutis cæteris, etc.* Postea inquit *pro inquit.* Infra, *et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cælo, et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cælo.*

^e Notatur in marg. Vat. 1, *Anacletus in epist. 3, et Gelasius papa in epistola decretali.* Gelasii epistola decretalis est decretum postea proferendum. Epistole Anacleti censentur suppositæ : in ea 3 epistola, quamvis plura ex verbis et sententiis hujus synodi producuntur, desunt tamen hæc verba, *sicut hæretici garrunt* : ac fortasse huic loco ab aliquo assuta sunt. Nonnulli enim sunt ex antiquis Patriarchis, qui Petrum, et Paulum Romæ quidem, et eodem die, sed non eodem anno martyrium subiisse affirmant, ut ostendi in comment. ad Prudentium hymn. 12 Perist. vers. 5. Addo nunc Sacramentarium, quod S. Leoni Blanchinus affinxit, alii ad Gelasium referunt, nonnulli ad privatam aliquem veterem scriptorem, in præfat. Natal. apostol. Petri et Pauli : *Sic dispensatione diversa unam Christi familiam congregantes, tempore licet discreto, recurrens una dies in æternum, et una corona sociavit.* Fortasse

hæretici in hoc concilio illa potissimum de causa perstringuntur, quod Paulum a Petri societate in martyrii loco se jungerent : ac libenter legerem *qui non diverso, sicut hæretici garrunt, loco, sed uno tempore, vel qui non diverso, sicut hæretici garrunt, sed uno loco, uno eodemque die, etc.* In Actis apocryphis Lini refertur, Petrum et Paulum diverso loco et tempore passos fuisse : quo imbecilli testimonio nonnulli recentes hæretici adhuc utuntur, ut Petrum Romæ exstitisse, aut martyrio coronatum fuisse negent. Verba, quæ in concilio sequuntur, meam conjecturam confirmant : *Sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt.* Cresconiana collectio apud Baronium refert *qui non diverso, sicut falso hæretici garrunt, sed uno, eodemque die, etc.* Paulo post supra dictam *S. Romanam Ecclesiam consecrarunt*; neque plura ex ea collectione profert Baronius.

^f Tres hæc sedes Petri esse dicit. In decreto vero Gelasii legitur, *Petri nomine a Marco ejus discipulo.*

^g In codice Veronensi, in quo, ut dixi, concilium est mutilum, et incipit a verbis *Post hæc omnes propheticas, etc.*, notatur, hoc loco, *Explicit Concilium sub Damaso papa.* Sic absolutum concilium Romanum sub Damaso nihil præ se fert, cur Damaso abjudicari debeat. Argumenta enim, quæ ex ratione temporum multi proferunt, solum probant, non esse Damasi ea omnia, quæ in Decreto Gelasiano continentur, ut per se clarum est. Quod si aliqui codices non solum hoc concilium suis limitibus conclusum, sed totum etiam decretum Gelasii sub Damasi nomine exhibent, is error inde natus est, quod vel Gelasius primam partem sui decreti ex hoc concilio sumpsit, ut pontifices Romani ex prædecessoribus plura sumebant, vel aliunde concilium Damasi ab aliquo adjectum fuit decreto Gelasii de libris (non divinis) recipiendis, vel non recipiendis. Facile autem fuit, ut ex prima parte decreti Gelasiani, quam Damasi esse constabat, in multis codicibus toti decreto nomen Damasi præscriberetur. Probabilius autem credo, Gelasium ipsum in decreto de scripturis recipiendis, et non recipiendis concinnando ex Damasi concilio primam partem, nonnullis leviter mutatis, aliis omissis, aliis additis, accepisse : quod ex ipso decreto, quod nunc sistam, facilius, ut ego quidem arbitror, percipietur. Digitized by Google